

ponit hanc differentiam, quod generatio sit ab uno tantum; spiratio autem a duobus. Sed speculationes hæ parum roboris obtinent & in iisdem sibiipsis non satisfaciunt ex asse Scholastici, ut ex eorum scriptis liquet. Proinde dicimus: Ex eo quod discrimen harum processionum a nobis ignoratur, id minus ritè negari; sed firmiter statuendum esse eas esse distinctas, ideò quia Scriptura distinguit.

47. **Attributa hujus Generationis constituimus quod sit 1. Monóτροπον** una numero, similem sibi nullibi inveniens, non tantum non in censu creaturarum; sed nec in divinis, quod significanter admodum innuitur a Scripturâ, Filium DEI μονογενῆ πατρὸς πατρὸς indigitante. consistit autem τὸ μονότροπον hujus generationis in eo, quod Pater nullum, præter hunc, ex essentiâ suâ agnoscit Filium. hoc est generationis hujus ἰδιον, ex quo denominatur ἰδιον πατρὸς καὶ ἰδιον υἱός Joh. 5. v. 18. Rom. 8. v. 32.

48. **2. Propria, non metaphorica.** Cum enim vox quædam rei tribuitur in genuinâ significatione, ut definitio voce illâ expressa conveniat, non habet locum metaphora. at verò definitio generationis, remotâ tamen omni imperfectione, divinæ generationis competit. adde, quod ubi terminus generationis est proprius, ipsa generatio talis denominanda. In hoc verò mysterio terminus generationis, qui est Filius, est proprius. Rom. 8. v. 32. E.

49. **Valeant proinde Φοβητὰ ἀκρίσματα** quorundam, qui cetera in hac doctrinâ de Generatione Filij ab æterno ex Patris essentia nobis esse volunt ὁμόψυχοι; & tamen asserere non dubitant. Generationem Filij esse metaphorica. hi nonne eandem cum Photinians inflant tibiam, qui Generationem in DEO propriè dari falsum pariter & absurdum judicant?

50. **3. Aeterna, ut ex Ps. 2. v. 7. & Prov. 8. antea vidimus,** quin et relatio, quæ inter Patrem Filiumq; intercedit, æterno Patri, Filium ab æterno genitum assignat. absurde proinde opponunt Photiniani generationem æternitati, eo quod æternitas dicat indefectibilitatem ab omni parte, generatio autem defectibilitatem a parte ante. quod tamen generationi non omni, sed in natura existenti ac tempore circumscriptæ competens, malè extenditur, ad ἀεὶ ὄντων generationem, quippe ἀεὶ ὄντων, docente Philosopho, ἡ μὲν γὰρ τὸ εἶναι ἕως ἔργου. Et tantum hac vice.

Smaltz,  
contra  
Frantz.  
disp. 1.  
p. 3.

UNIGENITO DEI FILIO GLORIA.

Coll. class A. 146, 24